

36d

37
Ba

George Frederic
de Booska

+

8.
DISPUTATIO JURIDICA
De
JUDICIIS EO-
RUMQUE PAR-
TIBUS, ET FORO
COMPETENTI,

Quam
Christo summo illo iudice Juvante,
&

Magnifico ICtorum ordine consentiente
in almâ Viadrinâ Marchicâ

PRÆSIDE

*Viro Amplissimo, Excellentissimo, Con-
sultissimo*

DN. FRIDERICO

von Zena / J.U.L. & P.P. Fautore,

Patrono, & Præceptore suo omni honoris
& amoris cultu prosequendo

Publico & placido Eruditorum examini exponit

PHILIPPVS SALOMON,

Schlaviâ Pom. Author & Respondens

In Auditorio ICtorum publico

hora 7. Antemerid.

Ad diem 19. Augusti Anno 1652.

Typis NICOLAI KOCH, Acad. Typ.

DISPUTATIO JURIDICA

De

JUDICIS FO-

RIMOLLE PAR

TIBUS, ET LORO

COMPETENTI

Quam

Christo inno illo iudice iuvante

&

Magnifico J. Formis, hinc confectis

in aula Viridibus Martialis

PRÆSIDÈ

Chro. Magister, hinc confectis, con-

fectis

DM. FERDINANDUS

von Saxe, J. L. & P. J. Tutor

Patrono, & P. Tutor, hinc confectis

in aula Viridibus Martialis

PHILIPPUS SALOMON

Scholarum, hinc confectis

in aula Viridibus Martialis

hinc confectis

in aula Viridibus Martialis

Typis Nicolai Koch, Acad. Typ.





I. N. J. C.

THESIS I.



Um non in utilitate solummodò, sed & in necessitate positum sit, ut quilibet id, quod suum est, vel sibi deberi putat, per judicem re-
poscat: atq; in hunc finem judicia inventa sint, *Marant. in aur. spec. part. 3. num. 136. ult. & qui-*
dem ex necessitate, ut in l. 14. Cod. de Juda. &
Cælic. l. 12. & 13. ff. quod met. caus. ne quis pro-
pria autoritate jus sibi diceret, vel ultionem sumere auderet; sed ut litigantes legitimo judiciorum tramite procederent; unde non injuriâ, non ultione privatâ, non convitiis & probris, *l. quis-*
quis 6. §. 1. Cod. de postuland. non contra rationem l. meminere
Cod. unde v. nulla 25. ff. de leg. sed legum præsidio judicia in-
tranda & tractanda *d. l. quisquis. publicâ siquidem non privatâ*
autoritate suâ quisq; in judicio vindicare debet, nec enim quisq;
consequi debet, quod oportet, dum non facit, quod debet, *juxta*
vulgat. axiom. Hæc itaq; Juris pars cum in Scholis diligenter ex-
plicari & disputari soleat, atq; à Studiosis Juris imprimis explo-
rari debeat, siquidem nulla alia usu frequentior, varietate di-
sputationum copiosior, & utilitate uberior, reperiatur; Ideò hanc
modo moreq; Academico placido eruditorum examini Divino
Juvante Judice submittere volui.

THESIS II.

Operæ autem pretium duxi, antequam ad ipsam Judicii de-
finitionem descenderem, de vocis significatione (quæ teste
Marant. part. 1. Gilhaus. c. 1. in arb. judiciar. in prel. & aliis
varia ac multiplex) nonnulla pro instituti ratione præmittere:
accipitur autem Judicium (1.) pro loco, in quo jus dicitur *Gilhaus.*
d. loc. (2.) pro Jurisdictione, l. 2. §. fin. ff. de Jud. (3.) pro ipsa actio-
ne

ne §. si familia. Instit. de offic. Jud. l. i. ff. commun. divid. l. sed & ejus 24.
§. familia ff. famil. erciscund. (4.) accipi solet vox Judicii pro dis-
cretione, l. cum Prator. 12. §. non autem ff. de Jud. (5.) pro ordine
Juris. (6.) sumitur Judiciū pro opinione & credulitate. (7.) pro sen-
rentiā. (8.) pro actu trium personarum, judicis nimirum, actoris
& rei, de qua vocis significatione ultimā disputationem nostram
instituire nobis proposuimus.

THESIS III.

Definitio quoq; non omnium est eadem: alii enim judicium
definiunt per actum legitimum trium personarum, Judicis
scilicet, Actoris & Rei in judicio contendentium. Sed nimis
generaliter, & obscurum per æq; obscurum declarant: Non enim
tres personæ contēdunt in judicio, sed duæ dūtaxat, Actor & Reus:
alii aliter, *Duar. ad rit. de Jud. in pr. dicit. se quandoq; integrum annum
consumpsisse in explicandā Judicii significatione, cū aliquot divisionib9,
sed tandem has nugas valere jusfisse.* Quo duce nec nos tam defini-
tioni, quā divisionibus diu multum immorabimur.

THESIS IV.

Definimus itaq; Judicium, quod sit legitima Judicis inter
partes litigantes de re controversā dijudicatio, *c. forus de
verb. signif. Wesemb. in parat. ff. de jud. num. 5. Clariss. Dn. D.
Brunnemannus in tractat. de process. in pr. Pet. Gilken. in prelud. tit.
Cod. Jud.*

THESIS V.

Quod non à vocatione in Jus, prout nonnulli Juris interpre-
tes volunt, *ut Lanfranc. ad. c. quoniam de probat. & alii.* Sed à litis cō-
testatione incipere statuimus, *moti arg. l. i. Cod. de lit. Contest. l. 15.
ff. rem. rat. hab. l. ita demum. Cod. de procur. Wesemb. parat. Cod. de
lit. Contest. n. 1.*

THESIS VI.

Perspectā definitione, ad divisiones pervenimus, (quarum Ju-
ris nostri authores enumerant atq; commenti sunt varias)
dividitur autem potissimum Judicium (1.) à *Causa Efficiente in Ec-
clesiasticum, & Seculare.*

THE-

THESIS VII.

Ecclesiasticum est, quod coram Judice Ecclesiastico inter personas Ecclesiasticas ventilatur. *tot. tit. Cod. de Episc. & Cleric. Seculare*, quod coram Judice Laico inter personas seculares agitur, *authent. statuimus. Cod. de Episc. & Cleric. Nov. 123. c. 21. Marant. part. 2. dist. 11. de ord. jud.* Utrumq; suas habet subdivisiones, quas brevitatis studio omittimus, & illas cognoscendi cupidum *ad allegat. Marant. & Johann. Emeric. à Rosbach, tit. 1. num. 6. 7. & seqq. in process. Civ. remittimus.*

THESIS VIII.

[II] *A Materia* Judicium desumptum, aliud dicitur. *i. Spirituale, aliud Seculare. Hoc*, ubi agitur de re aliquâ temporali, puta fundo, equo, veste, pecunia & simili. *Marant. part. 4. dist. 13. n. 1. Illud*, ubi de re spirituali, vel annexa spirituali. *Bart. in l. quoties Cod. de Jud. & præter eum quotidiana testatur experientia Clericos pluribus in locis omnem de rebus Spiritualibus cognitionem ad se transtulisse, adversus quem statum differere, vix privati hominis est. Pro diversitate itaq; locorum vel Judicii Ecclesiastici propria erit, vel utriusq; communis.*

THESIS IX.

Deinde aliud *Universale*, aliud *Generale*, aliud *Speciale*. *Universale* est, quo universum corpus multorum diversorum jurium petitur. *Spec. tit. de jud. §. Universalia num. 1. & 11. l. 1. ff. de rei vind. Jas. l. 3. num 10. Cod. de edend. & in rubr. ff. de test. & Cod. de in offic. testam. Wesenb. in parat. ff. de jud. num. 8.*

THESIS X.

Generale in quo genus petitur. *l. 38. ff. pro soc. sive in quo de uno jure multas species continente agitur. Spec. de act. seu petit. §. sequitur. Jas. d. l. 3. Marant. part. 4. dist. 4. num. 2. Wesenb. d. loc. Singulare in quo una tantum species vindicatur d. l. 38. ff. pro soc. l. 1. in pr. ff. de rei vind. Wesenb. allegat. loc.*

THESIS XI.

[III] *A Formâ*; Judicium distribuitur in *ordinarium & extraordinarium. Illud*, quod observato juris ordine, ordinariè tractatur: *ut l. 1. authent. offeratur. Cod. de lit Coontest. Marant. p. 4.*

dist. 9 num. 1. Hoc, in quo de simplici, & plano finè strepitu & figura judicii proceditur §. ult. Inst. de interd. l. ordo 8. ff. de publ. jud. vocaturq; summarium, in quo summam l. 3. §. 9. ff. ad exhib. l. 1. §. 14. ff. de vent. in possess. mitt. l. 5. §. 8. ff. de agnosc. & alend. lib. sine scriptis, & levato quod ajunt, velo cognoscitur.

THESIS XII.

(IV.) *Respectu Finis* Judicium aliud in *Criminale*, aliud in *Civile* rectissimè finditur. *Criminale*, in quo de causâ criminali eum in finem agitur, ut delictum publicè vindicetur. §. in summa 10. *Inst. de injur. Jas. ad rubr. Cod. de jud. num. 2. & 7. l. 9. §. 5. ff. de publ. & vectig.*

THESIS XIII.

Quod vel *Publicum*, vel *Privatum*; *prive*, in quo certâ lege constituta, & certis legitimisq; pœnis publica crimina vindicantur, *tot. tit. Inst. & ff. de publ. jud.* Ideoq; juxta *Bartol. in rubr. d. e. Publicum* dicitur, quod cuius de populo competat; *rursusq; in Capitale, vel non Capitale subdividitur.*

THESIS XIV.

Illud est, quando delictum pœnâ capitis vindicatur; *hoc*, ex quo pœna aut est pecuniaria, aut coërcitio quædam corporalis §. 2. *Inst. de publ. jud.*

THESIS XV.

Posterius, in quo privatim ad nostrum interesse agimus. *Rosbach. tit. 1. in process. Civ. num. 25.* quod in ordinarium aut extraordinarium iterum subdividimus. *In ordinario* certâ pœnâ constitutâ, certo judicandi modus observatur. Cujus pœna vel in *simplex*, vel in *duplex*, vel in *quadruplex*. §. *quadam Inst. de action. in extraordinario* pœna quâ crimen coërcetur est *extraordinaria. tot. tit. ff. de extraord. crim.*

THESIS XVI.

Civile Judicium est, in quo ad commodum privatam causa civilis tractatur. *arg. l. 9. §. 5. ff. de publica. & vectig.* quod iterum aut *petitorium* aut *possessorium*. *Hoc*, in quo de solâ possessione agimus. *Estq; vel adipiscendæ tot. tit. ff. & Cod. quor. bonor.*

bonor. vel retinendæ §. 4. *Inst. de interd. tot. tit. ff. & Cod. uti possid. vel recuperandæ possessionis. §. 6. Inst. d. r. Oldendor. Class. 2. act. 10. Mynsing. cent. 3. obs. 85.*

THESIS XVII.

Illud, in quo de proprietate, sive dominio agitur principaliter, *Zas. l. quanquam n. 31. ff. de edend. subdividiturq; vel in Reale, vel Personale. Posterius competit ex obligatione aliqua ad dandum vel faciendum aliquid §. omnium 1. Inst. de action. Priori petimus rem nostram jure domini, vel quasi. Lanfranc. de orian. in rubr. de caus. possess. & proprietat. §. 1. n. 7.*

THESIS XVIII.

Harum divisionum occasione inquirere lubet; an interdicta, tam retinendæ, quàm adipiscendæ, & recuperandæ possessionis, cum rei vindicatione cumulari, conjungiq; possint? præsuppositâ hypothesi ex pragmaticorum inventis dicimus, quod sic *l. 18 §. ult. ff. de vi & vi arm. l. 12. §. 1. ff. de acquir. poss. arg. l. 10. Cod. de Jud. Cujac. 8. obs. 24. & 20. obs. 25. Gail. 1. obs. 63. Obrecht in disp. de Concurs. & cumul. act. th. 246. Hart. Pistor. lib. 1. quæst. 45, num. 12.*

THESIS XIX.

Et tantum de divisionibus, ne pluribus inhærendo thesaurum modum propositiq; fines excedamus. Ad partes itaq; judicium constituentes nos convertimus, quæ juxta *Don. Herm. Vul. lib. 2. Jurispr. Rom. c. 1.* sunt personæ, & quæstio.

THESIS XX.

Personæ sunt vel Principales, vel minus Principales, seu accessorizæ. *tot. tit. ff. & Cod. de procur. advocat. assess. jud. nobis posterioribus relictis; de prioribus agere mens est.*

THESIS XXI.

Quæ quidem sunt *Judex, Actor, & Reus l. 62. ff. de jud. Wesenb. in parat. ff. b. r. n. 9. Vult. d. c. 1. (unde non ineleganter Obrecht. disp. de jud. 1. th. 44. ait, judicium esse tanquam palastram, in qua actor & reus inter se pugnant, cui pugna judex est præfectus, ut de ea judicet; ac vincenti præmium tribuat, succumbenti verò pœnam infligat)* sine quibus personis judicium non dari quidam juris interpretes volunt, ut *Don. 17. com. 4.* quod & nos quoad Civile quidem

quidem concedimus, quoad criminale verò ordinarium tantum.
Gomez. 3. resolut. 1. n. 49. Fach. 1. controv. 34.

THESIS XXII.

De iudice autem (veluti potissimâ Judicii parte, secundum Gail. 1. obs. 42. n. 9. & seq.) primo loco acturi eum describimus, quod sit is, qui iudicat de causâ, ut legibus, constitutionibus, & moribus, seu approbatis consuetudinibus proditum est. §. 1. Inst. de offic. jud. §. ex non scripto Inst. de J. N. G. & C. l. illicitas §. veritas. ff. de offic. pras. l. rem non novam Cod. de Jud.

THESIS XXIII.

Estq; vel ordinarius, vel extraordinarius. Ordinarius, qui vel suo jure, vel beneficio principis, vel à lege jurisdictionem tributam exercere potest. l. more majorem ff. de jurisd. l. omnes Cod. de jud. l. cum prator §. 1. l. penult. ff. de jud.

THESIS XXIV.

Extraordinarius est, qui superioris commissione, causâ cognitionem recipit arg. l. 1. & 3. ff. de offic. ejus cui mandat. est jurisd. nihilq; jurisdictionis proprium habet, sed vices delegantis, sive superioris agit d. l. 1. §. qui mandatam ff. d. t. l. solet ff. de jurisd. vocatur aliàs Delegatus. tot. tit. ff. de offic. deleg. it. iudex datus l. 46. ff. de judic. quia non suo (cum sit privatus) modo iudicat, sed à magistratu datur: it. Pedaneus. l. 4. ff. de tut. & curat. dat.

THESIS XXV.

Judex autem diversimodè constituitur, vel à summo principe l. 1. ff. ad. l. Jul. de amb. vel à magistratu. l. 5. de jurisd. vel litigantium consensu. l. 18. dict. tit. vel deniq; à jurisdictionem habente. l. 3. d. 1.

THESIS XXVI.

Illorum itaq; qui iudicant hodiè alii jurisdictionem propriam, alii alienam, alii nullam, sed nudam duntaxat cognitionem sive notionem habent. l. 5. ff. de jurisd. l. 75. ff. de jud. l. 5. & 15. ff. de re judic. l. 1. de offic. ejus cui mandat. est jurisd. Obrecht. in tr. de jurisd. & imper. & disp. 2. de jud. thes. 23. cum multis seqq.

THE.

THESIS XXVII.

Cum olim Magistratus judicare non fuerit solitus, an propterea non potuerit, valde inter juris autores controvertitur? Nos affirmantibus subscribimus, *arg. l. 2. Cod. de pedan. jud. l. 4. Cod. de Sentent. & inter loc. omn. jud. l. 5. 8. & 9. ff. de offic. Pres. l. 1. de jurisd. Cic. in quodam loco ad Quintum fratrem quid, inquit, solet prater judicare deberi? non dicit non posse, sed judicare non solere, & Sueton. in Claud. Imper. c. 15. ait. in his que non cognitionis, sed ordinarii juris erant magistratus Populi Romani non cognoscebant; sed judices dabant.*

THESIS XXVIII.

Judex porrò delegatur vel à summo Principe, vel ab alio inferiori. A summo Principe delegato censetur plenissima jurisdictio data, & omnia, sine quibus ea commodè exerceri nequit. *l. ult. §. 1. ff. de offic. ejus cui mandat. est jurisd. Gail. lib. 1. obs. 35. n. 9. Mynsig. Cent. 4. obs. 29. cent. 6. obs. 99.* Delegato verò ab alio inferiori causarum tantum cognitio delegatur. *l. 3. Cod. ubi & apud quem integrum restit. l. 1. ff. de jud. l. à judice Cod. dict. tit.*

THESIS XXIX.

Hinc quæritur (i) an judex datus, alium judicem dare possit? Et regulariter asserimus, quod non. *l. 5. Cod. de jud. Bartol. in l. 5. ff. de jurisd. Hartman. Hartmanni lib. 2. obs. 8.* quod tamen ita accipiendum, nisi à Principe in judicem datus sit. *d. l. 5. Cod. de jud. in fin.* nam & hic jurisdictionem habet. *Novell. 80. & quovis ordinario penè major est in causâ sibi commissa. l. 18. §. penult. ff. de minor.*

THESIS XXX.

(ii) An judex secundum acta & probata, an verò secundum propriam conscientiam judicare debeat? Quæ quæstio cum fragrosa satis est, variè inter varios ventilatur & discutitur; & licet nonnulli acta & probata judicem sequi debere affirmant, nos tamen abs his, quibus parum vel nihil conscientia est, recedimus, & judici secundum conscientiam judicare fas esse statuimus, quæ sententia ut æqua, ita & legibus tam divinis, quàm humanis firmissimè fundata est. *Deuteron. 7. Exod. 23. v. 7. Eccles. 4. l. 3. §. 1.*

§ 2. ff. de testib. l. rem non novam. aut b. hodie. Cod. de Jud. l. 79. §. 1. ff. d. t. Hanon. disp. 23. Inst. ad tit. de interd. thes. 18. pag. (mibi) 368. § quos allegat. Reincking lib. 2. Class. 2. de Regim. secul. § Eccles. c. 17. n. 12. 13. 14. § seq. c. literas. extra de restit. spoliat.

THESIS XXXI.

Constitui igitur & dari iudices possunt omnes, qui non prohibentur. *l. 12. §. 2. ff. de jud. arg. l. 43. §. 1. de procur. l. 1. §. 1. de ff. de testib. prohibentur autem quidam, vel ipsa natura, vel lege, vel moribus.*

THESIS XXXII.

Natura judicare non possunt (1) Surdus *l. 3. §. 8. ff. ad Scitum Silan.* puta talem, qui planè nihil, vel admodum difficulter exaudit. (2) Mutus *l. 9. ff. de edil. edict.* qui planè nihil loqui potest, non qui graviter loquitur, modò id fiat cum intellectu. *d. l. 9. ratio hujus est tum in l. 9. Cod. de jud. tum hæc imprimis, quòd plura sint, quæ de plano & simplici definire eum oportet, & de quibus est interloquendum. tot. tit. Cod. de interloc. om. jud.*

THESIS XXXIII.

(III) Furiosus. *l. cum prætor §. 2. ff. de jud. Inst. quib. non est permiss. face. testam. §. 1. § arg. l. 1. §. 3. ff. de acquir. possess. intellige autem perpetuò talem, in eo tamen qui mentem recuperavit, aliud juris obtinet l. 39. ff. de jud. Hackel. disp. de jud. th. 9. Sed optimè monet Obrecht d. l. th. 194. quanquam licitum sit talem dari, parum tamen tutum id esse.*

THESIS XXXIV.

(IV) Minorennis: latissimè hoc verbo utentes, rem sic expeditimus. Ante annum 18. ætatis neutiquam ad judicandi officium admittitur. Ratio est *in l. 1. §. 3. ff. de postul. post illum annum, ante 25. tamen annum volens demum, & non contradicentibus litigatoribus l. 57. ff. de re Jud. l. 41. ff. de recept. qui arbit.*

THESIS XXXV.

De Cæco an & is judicandi munere fungi queat, ambigitur? Multa enim sunt, in quibus ad indagandam veritatem sensus oculorum necessariò requiritur; Cæcus autem cum neq; de litigantium

gantium aut testium personis seu qualitatibus judicare, neq; vultum eorum, quâ constantiâ, quò colore, quâ trepidatione quid proferatur, intueri, signacula inspicere literarumq; cognitionem instituire *l. 22. Cod. ad L. Cornel. de Fals.* documenta per legere possit. Verùm cum *l. 16. ff. de jud.* expressè cautum sit *Cæcum judicandi munere fungi posse*; nostrum non erit talem ab hoc officio omninò excludere; præsertim si perspicaciori præditus sit mentis lumine.

THESIS XXXVI.

Lege judicis officio fungi nequeunt, Senatu obignominiam moti. *l. 2. ff. de Senat. d. l. 12. §. 2. ff. de jud.* nisi fortè tempus, ad quod remoti sunt, elapsum sit. *l. 3. Cod. ex quib. caus. infam. irrog. l. ex eâ causâ ff. de postul. infamiâ insigniter notati. l. 2. Cod. de dignit. arg. l. 1. §. 8. ff. de postul.* Banniti & excommunicati. *c. ad probandum. 24. de re jud.*

THESIS XXXVII.

His etiam annumerantur spurii, & illegitimè nati, cum & his macula non levis inhæreat. Vilibus enim & indignis personis dignitatum portæ aperiri haud debent; *per vulg. item Judæi, l. ult. C. de Judæis. Hæretici, l. penult. C. de Heret.*

THESIS XXXVIII.

Imperitum legum & rerum gerendarum quoq; judicandi munere fungi non posse certum est; secundum *l. 14. Cod. de Jud. Nov. 82. in præfat. c. 1. §. 1.* & Jus modernum quo judici nulla amplius à prætore judicandi formulâ præscribitur, sed plena secundum leges & consuetudines jus dicendi, & causam definiendi tribuitur licentia. Huc insuper facit dictum *D. Augustini lib. 19. de Civ. Dei. Ignorantiam iniquis judicis esse calamitatem innocentis.*

THESIS XXXIX.

Hinc illa nobis exurgit quæstio, an mercatores judices esse possint? Et statuendum putamus illos de iis tantùm rebus judicare posse, quarum peritiam habent, non etiam de aliis, *l. ult. Cod. de jurisd.* nam & militaribus interdum hominibus, qui aliàs arma potiùs, quàm jura callent. *l. 22. Cod. de jur. deliber. Inst. de milit. testam. in princ.* Judicandi facultas tribui potest. *l. 17. Cod. de jud. sta-*

tur interdum & ipsorum rusticorum iudicio, quando scilicet
quæstio incidit ad agriculturam ejusq; ministerium spectans; ut
& in aliis casibus ad certam artem pertinentibus peritorum in il-
la arte iudicium explorari solet; non enim à iudice exactissimam,
& omnibus numeris absolutam omnium legum cognitionem re-
quirimus; sed generalem tantum & aliqualem, quæ sufficere
potest ad eas causas, quæ coram ipso tractantur, decidendas sci-
entiam; peritorum autem assessorum consilio eos adjuvetur. *l. 2.
ff. quod quisq; jur. l. 6. Cod. de iurisd. l. penult. Cod. de jud. l. ult. C. de
iure deliber.*

THESIS XL.

Pauperes. *l. 6. in pr. ff. de muner. & honor.* quos ab hoc officio
hæc potissimum remove videtur ratio, quod facile capiantur
muneribus, & quod egestas dum saturari cupit facile à Justitiâ de-
clinet; hoc tamen cum grano salis accipiendum volumus; nisi
scilicet exploratissimæ virtutis, fidei atq; integritatis fuerint:
melius enim est inquirere cujus existimationis, fidei & eruditio-
nis sit iudex, quam patrimonii *arg. non omnes ff. de re milit. l. 11. §.
1. Cod. de advocat. divers. jud. l. 8. ff. de suspect. tutor.*

THESIS XLI.

Moribus: ab officio iudicis repelluntur fœminæ. *l. 12. §. 2.
de jud. l. 1. §. 5. ff. de postul. non quod non possint, sed quod mori-
bus receptum sit, ne officiis civilibus fungantur. l. 2. ff. de R. J.
pudor enim naturalis non concedit, ut omnibus sese promiscuè
manifestent, l. 14. Cod. de contrab. stip. l. 1. §. 4. ff. de postul. contra-
rium tamen obtinet, ubi mulieri iure hæreditario in ditionem ali-
quam succedenti competit iurisdictio, consuetudo enim consue-
tudinem tollit, ut lex legem.*

THESIS XLII.

Servus. *d. l. 12. §. 2. ff. de jud. scilicet si publicè constiterit
eum esse servum. l. 59. §. fin. ff. de cõdit. & demonst. si autem omnium
opinione liber fuerit habitus, & sic iudicaverit, sententia ejus su-
stinetur publicæ utilitatis intuitu. l. 3. ff. de offic. prator.*

THESIS XLIII.

An autem filiusfamilias in re patris privatâ iudex esse pos-
sit, non

fit, non usq; quaq; expeditum est. Nos invito adversario eum judicare posse negamus. *l. 10. ff. de Jurisd. arg. l. 9. ff. de testib. Donell. 17. com. 25. quo cum in effectu idem sentit Duar. tit. de jud. c. qui judicar. poss. § 1. disp. 51.*

THESIS XLIV.

Et tantum de judice; sequitur, ut de litigatoribus despiciamus, qui quidem sunt actor & reus. Actor (ab agendo) dicitur is, qui actionem proponit, & prius ad iudicium provocat. *§. 4. Inst. de interd. l. 13. 24. & 29. ff. de jud.*

THESIS XLV.

Agere itaq; possunt omnes, qui non prohibentur. Prohibentur autem pupillus & minor, *l. 1. & 2. Cod. qui legit. pers. stand. in jud. non hab.* Hi enim sine tutoris vel curatoris auctoritate nec agere, nec conveniri recte possunt. *d. l. 1. & 2. l. 1. Cod. qui pet. tutores vel curatores. l. quiq; ff. de in jus voc. Angel. in Inst. §. 1. de curat. l. 1. §. sufficit. ff. de administrat. tut.*

THESIS XLVI.

Surdus & mutus: ratio est, quia percipere non potest, quid alter in iudicio proponat, & praeterea occurrunt multa, quae litigantem sanum requirunt. *l. 1. §. 3. v. propter casum. ff. de postul. l. 124. de R. J. Furiosus & prodigus. l. 1. ff. de curat. Jur. l. 40. d. l. 124. § 1. de R. J. Servus. l. 6. Cod. de jud. l. 32. de R. J. exceptis casibus quibusdam. l. 53. ff. de jud. Guil. Durand. in spec. Jur. tit. de actor. n. 70. Sich. ad d. l. 6. Cod. n. 1. & seq.*

THESIS XLVII.

Monachi; ratio est in *l. 23. Cod. de testam.* opprobriosum enim eis est, si se disceptationum forensium peritos ostendere volunt. Nullum insuper habere rerum dominium dicuntur; sed ad prophana quod attinet pro mortuis habentur. *l. DEO nobis. Cod. de Episc. & Cleric. item ex communicatus, bannitus & deportatus. arg. l. 47. ff. de fide juss. p. 2. Ord. Cam. tit. 9. §. Do jemand v. sollen. Gail. lib. 2. de pac. publ.*

THESIS XLVIII.

Magistratum quoq; agere non posse consta. *l. 48. ff. de jud. quod tamen intelligendum esse ducimus de eo, cujus fit mentio in*

l. 2. ff. de injus voc. quam diu enim magistratus in imperio sunt, & coërcere aliquem possunt, eos iis tantum temporibus in jus vocare nemini competit: *l. 32. ff. de injur.* attemperatum autem putamus hoc rescriptum ad statum Reip. Rom. quo magistratus erant annui; testibus Liv. & Halicarnass. aliisque Romanæ historiæ scriptoribus. Bodin de Rep. cap. 4. lib. 4. Cum verò hodiè magistratus sint perpetui, in jus vocari possunt. *ceu colligunt Dd. ex l. 24. de reb. credit.*

THESIS XLIX.

Atque hæc de Actore veluti primâ litigantium personâ dicta sufficiant; succedit altera, scilicet Reus, (à re, quæ ab eo petitur dictus) & est is, cum quo in judicio agitur. *Arn. Rayer. th. 44. disp. 1.* in quem etiam invitum judicium redditur. *l. inter stipulantes §. si Strychum. ff. de verb. oblig.*

THESIS L.

Non autem promiscuè omnes indistinctè conveniri reique constitui possunt; eximuntur quippe ex illo ordine, qui legitimam personam standi in judicio non habent. *tot. tit. Cod. qui legit. pers.* ut pupillus, minor, surdus, mutus, furiosus, prodigus, servus & alii. Hi enim sicut nec in judicio agere; per fundamenta juris superius in personam actoris allata; ita nec ab aliis conveniri possunt, sed opus habent tutoribus & curatoribus, qui illorum nomine conveniantur. *l. 1. & 2. ff. de administr. tut. l. contra pupillum ff. de rejud.*

THESIS LI.

Bannitus tamen rectè convenitur *c. pastoralis desentent. & rejud. in Clement. Gail in lib. 2. de pace publ. c. 12. n. 15. & seqq.* habilitari enim restituique ejus personam quoad actum illum judicialem *Jas. 2. conf. 167. & Menoch. 2. presumpt. 32. n. 3. docent.*

THESIS LII.

Et tantum de primâ judicii parte, Judice nimirum, Actore & Reo. Consequens est, ut de alterâ prospiciamus Quæstione scilicet, quâ sic describitur, quod sit res controversa coram judice ejus dirimendæ causâ exposita. *Herm. Vult lib. 2. Jurispr. Rom. c. 2. estque vel facti vel Juris. l. 16. ff. de stat. hom. l. 79. §. 1. ff. de jud. l. 172. ff. de verb. signif. l. 94. de verb. oblig.*

THE-

THESIS LIII.

Facti quæstio est, cum de facto, de quo nondum liquet, quæritur & lis est. *l. 24. ff. de R. J. l. 79. §. 1. ff. de Jud. semperq; est in arbitrio judicis. l. 1. ff. ad SCtum Turpill. l. 15. in pr. ff. ad municip. à probationibus namq; quæ planè in judicis arbitrio positæ sunt, dependet. l. ob carmen ff. de testib. l. 3. §. 1. d. t.*

THESIS LIV.

Semper tamen in hâc judici certi limites & termini circumscripti sunt, quos transilire non debet; præsertim si quæstioni facti quæstio juris admixta sit. *l. si fueris §. 1. ff. de reb. dub. l. 15. ff. de stat. hom.*

THESIS LV.

Quæstio Juris est jus ex facto debitum, quod in judicio persequimur, cum de facto constat, de jure verò factivè qualitate dubitatur, *l. 1. §. quorum alterutrum. v. nam ut papin. ff. ad SCtum Turpill. Vult. lib. 2. J. R. c. 3. l. 2. ff. de jur. & fact. ignor. l. 32. in pr. ff. de usur. l. 52. §. 2. ad. L. Aquil. l. 191. de R. J. l. 7. Cod. de fid. commiss. l. 41. in pr. ff. de verb. obl.*

THESIS LVI.

Cæterùm cum non quælibet quæstio ad quemlibet pertineat judicem, sed pro diversitate personarum, locorum, causarumq; diversum sortiatur forum, actor autem *juxta vulg.* forum rei sequi teneatur, superioribus quædam de foro competenti annectemus.

THESIS LVII.

Est autem forum competens ordinaria juris dictionis sedes, litiumq; exercendarum locus necessariò à litigantibus ad eundus. *tot. tit. extra de foro compel. l. nemo 4. Cod. de jurisd. om. jud. & for. compel.*

THESIS LVIII.

Consequitur itaq; reus forum competens; aut *ratione actionis in personam, aut in rem.* Priori modo. (1.) in loco domicilii *l. 19. §. 1. & fin. ff. de jud. l. 2. Cod. de Jurisd.* intelligimus autem domicilium habitationis, in quo quis habitat, eo animo, ut perpetuò ibi consistat, nisi quid avocet. *l. 7. Cod. de in col.* THE-

THESIS LIX.

De eo autem non immeritò addubites, quod *Dd. dicunt*, ex solo lapsu decennii domicilium contrahi; propter *l. 7. Cod. de incol. quanquam in dubio, cum de animo non constat, id verissimum sit l. 2. Cod. eod. Vult. ad l. 2. C. de jurisd. Wesenb. in parat ff. ad municip. n. 7.* Hodie verò de communi Germaniæ consuetudine passim incola quis post annum efficitur, nec facilè patitur Senatus advenam diutius ibidem commorari, nisi elapso anno jura civium redimere velit, *Gail. 2. obs. 35. n. 8.*

THESIS LX.

Queritur ergò an Studiosus in *Academia* quadam etiam ultra decennium consistens domicilium ibi contrahat? quod licet verisimile videatur; nos tamen per expressum dicimus quod non; nec sufficit habitatio, sed requiritur (1) *animus non recedendi l. 1. § 2. l. ciues 3. Cod. de incol. (2) requiritur, ut ipso facto domicilium constituat*, inhabitando scilicet, & præcipuam rerum suarum substantiam illud transferendo *l. 17. §. sola. ff. ad municip. l. ciues Cod. d. t. assidueq; ibi versetur l. 2. Cod. ub. Senat. vel clariss. in verb. ubi larem fovent.* Cum igitur talia circa studiosos non videmus, sola domus conductione domicilium eos contrahere nemo facile asseret.

THESIS LXI.

Porro reus consequitur forum competens (1) *in loco contractus* propter initam scilicet veram vel quasi conventionem. Ibi enim contractum intelligitur, ubi solutio facienda destinatur. *l. 21. ff. de Oblig. § act. l. 3 ff. de reb. autb. judic. poss. l. 19. §. 2. ff. de jud. l. 4. §. 1. § l. 5. ff. de eo quod cert. loc. dar. oport. si ibi reus repesiatur l. 19. in pr. d. Judic. C. Romana § Contrahentes d. for. Comp. in b. quod tamen in actionibus rationum reddendarum secus est vid. inf. th. 66. & Gail. 2. obs. 36. n. 14.*

THESIS LXII.

Excipitur ab hâc regula (1) *mercator advena* si mox discersurus in ipsâ peregrinatione contraxerit. *l. 19. §. 2. ff. de jud. nam qui ratione contractus sortiri vult forum, illum in loco contractus habere oportet stationem, officinam, vel pergulam; puta si* Con-

conduxerit ibi domum, vel cellarium pro aliquo tempore, ut solent mercatores (2) *Legatus*, nisi in ipsâ legatione ibidem contraxerit. l. 5. 8. 25. & seq. ff. de jud. (3) *Maritus* nomine dotis non in eo loco, ubi dotem accepit & dotale instrumentum conscriptum est; sed in loco domicilii conveniri debet. l. 65. ff. de jud.

THESIS LXIII.

(III) *Propter delictum* quoq; reus sortitur forum competens, si scilicet ad vindictam ejus agatur. Reipub. enim interest, ne delicta mancant impunita. l. 13. ff. de offic. presid. delinquentes autem, maximè tamen in criminalibus præter locum domicilii ubicunq; deliquerunt, & deprehenduntur, conveniri possunt. rot. tit. & l. 1. Cod. ubi de crim. ag. oport. ita tamen, ut ad petitionem judicis ad eum locum, ubi delictum commissum est, remittantur. Novell. 134. c. 5. Verùm hodiè non amplius ex necessitate remissiones fiunt, sed ex merâ benevolentia & gratia ad literas reversales seu anti-graphum, quibus cavetur Magistratus remittentis jurisdictioni nullum exinde præjudicium creatum, sed suo tempore similem eidem gratiam exhibitum iri. Gail. 1. de pac. publ. c. 16.

THESIS LXIV.

Et hætenus de actione in personam. Posteriori modo ratione scilicet actionis in rem, reus quoq; in foro competenti convenitur. (1) *in loco rei sitæ.* Ubi enim res sita est, ibi quoque vindicatur. l. 3. Cod. ubi in rem act. exerc. omni inter res soli & mobiles discrimine rejecto. l. 38. ff. de jud. l. 10. ff. de rei vind. l. unica Cod. ubi de heredit. ag.

THESIS LXV.

(2) *In loco domicilii,* cujus tamen electio relinquitur actori, ubi agere reumq; convenire velit. l. 19. in fin. ff. de jud. l. 2. §. 2. ff. de eo quod cert. loc. l. fin. Cod. ubi in rem act. l. unica Cod. ubi de heredit. l. ult. Cod. de prescript. long. temp.

THESIS LXVI.

Sic administrans aliena negotia tam privata, ut tutelam vel curam; quam publica, ibi rationes reddere tenetur, ubi ea gessit. l. 1. & 2. Cod. ubi de ratiocin. l. heres absens §. 1. ff. de jud. adeoq; ad locum gestionis remittendus est, qui ex administratione tenetur.

C

Thesis

THESIS LXVII.

Tandem quoq; *Causa continentia* forum constituitur competens. l. 3. § 10. Cod. de jud. l. 3. Cod. de rei vindic. est autem causæ continentia nihil aliud, quam connexitas rei controversæ & colligatio perpetuitasque, quæ separari causam negotiumve non patitur, sed uno eodemq; vult determinari iudicio. Matth. Steph. lib. 1. c. 32. n. 7. l. 10. Cod. de jud.

THESIS LXVIII.

Continentes itaq; causæ definiiri possunt, quæ ratione & specie sunt individua l. 17. §. plane ff. de negot. gest. quod tribus potissimum modis accidere potest.

THESIS LXIX.

(i) *Ob causarum tum facti, tum juris affinem & faciliorem cognitionem*: quod fit, quando iudicium unum ita cognatum & connexum est alteri, ut præparet illud, vel explicet, vel liquidum reddat. d. l. 10. Cod. de jud. l. 16. Cod. de prob. Sic præparatur petitorium iudicium per possessorium, d. l. 10. Cod. d. t. rei vindicatio per actionem ad exhibendum. l. 3. ff. ad exhib. interrogationes in iure fiunt, ut res peti possit. l. cogi. Cod. de petit. heredit.

THESIS LXX.

(ii) *Propter præiudicium sive questiones & actiones præiudiciales*, quod fit, si quid quæstionis in motam controversiam incidat, ut iudicium principale possit impediti, aut nullum reddi, vel exceptione rei iudicatæ tolli. l. 1. Cod. de ord. jud. Mynsing. Cent. 1. obs. 100.

THESIS LXXI.

Tandem deniq; (iii) *ex generalitate actionis vel Causæ* oritur *Causæ continentia*, quando nimirum res diversæ vel causæ continentur omnes sub una actione generali, puta sub actione tutelæ vel negotiorum gestorum, de quâ continentia loquitur sæpè alleg. l. 10. Cod. de Jud.

THESIS LXXII.

Item si res litigiosæ sub diversis iudiciis, & in diversis locis, sitæ sint & unâ actione petantur. Gail. 1. obs. 32. Non tamen propterea

propterea in causa continentia, rejecto iudice minore, ad superiorem veniendum est, forte ubi res plurium controversa in inferioris iudicis jurisdictione posita sit. *l. unica Cod. ubi de ratiocin.*

THESIS LXXIII.

Item si plures tutores sub diversorum iudicum jurisdictione domicilium habeant, nihilominus illi ibi conveniri debent, ubi tutelam administrant. *vid. supra thes. 66. non etiam coram superiore, quoniam ibi rationes reddere oportet, ubi gestum est. l. 1. Cod. de ratiocin.*

THESIS LXXIV.

Quælibet autem causa regulariter in iudicium deduci potest, modo in suo quæq; pertractetur foro. Pro diversitate enim Causæ *alia unius, alia alterius jurisdictionis propria censetur; sic causa Ecclesiastica, ad forum spectat Ecclesiasticum. c. verum c. ex tenore de foro compet. & c. de quibus superius actum est.*

THESIS LXXV.

Ubi verò causa semel cœpta est, ibi finiri quoq; debet. *l. ubi ff. de jud.*

THESIS LXXVI.

Atq; hæc sunt, quæ de foro competenti pro instituti nostri ratione in præsentiarium adducere voluimus, quibus perspectis & cognitis facile apparebit, quid sit forum incompetens.

THESIS LXXVII.

Describimus autem illud, quod sit vetitum & incongruum tribunal, cui reus conventus subjectus non est. *tot. tit. Cod. si à non compet. jud. l. 5. §. 1. Cod. de jurisd. om. jud.*

THESIS LXXVIII.

Atqui hæc adeò vera sunt, ut etiam causam trahens ad incompetens tribunal eâ mulctari soleat, *d. l. 1. §. 1. Cod. d. t. & iudici ultra jurisdictionem suam jus dicere volenti impunè non pareatur. l. ult. ff. de jurisd.*

THESIS LXXIX.

Coronidis loco inquirere lubet, *num. l. 5. Cod. de jurisd. om. jud.*

jud. [qua lege & litigatores plectuntur, si apud incompetentem judicem causas instituant, & judices si eas exequantur] sit ab rogata. Fatemur equidem illam hodiè non practicari ut loquitur *Paulus de Castro*; interim tamen contrariâ lege nequaquam eam sublatam, imò in usum revocari posse arbitramur: cum *Bartol. & Obrecht. disp. de jud. i. tb. 98. & seqq. Herm. Vult. ad d. t. de jurisd. p. 167. n. 13. & 175. n. 21.*

Atq; hae sunt, qua de nodosâ & intricatâ judiciorum materiâ dicta sufficiant. Tibi autem benigne *JESU* judex justissime, per quem *Reges regnant, & Judices justitiam decernunt, sit laus, honor, & virtus in perpetuè duritura secula.*



00 A 6456

ULB Halle

3


002 929 244




R

Worm







g.
 JURIDICA
 S EO.
 E PAR.
 FORO
 ENTI,
 iudice Juvante,
 ne consentiente
 Marchicâ
 E
 llentissimo, Con-
 ERICO
 P.P. Fautore,
 iuo omni honoris
 sequendo
 examini exponit
 ALOMON,
 & Respondens
 um publico
 erid.
 Anno 1652.
 HI, Acad. Typ.